

PRETIUM PETRONIANUM DECIMUM

Statilia Messalina, tertia Neronis uxor, principe mortuo vitae cum illo communis meminit. in primis eum diem memoria tenebat, quo illum per domum auream pervagantem clam observare potuerat...

domo dedicata paucis post diebus princeps et nonnulli amici rotundam cenationem in Oppio monte sitam ingressi luxuriosius epulabantur; quae ad modum mundi perpetuo motu circumagebatur, ut omnes iam prius levi crapula afficerentur, quam quicquam poculum exhaurirent. uxores autem ab his voluptatibus temperabamus.

tandem epulis in lucem productis Nero admodum vino gravis surrexit, convivium dimisit, domum suam pervagari paravit; quem suspenso gradu sequebar. ille cum per ceteras cenationes ambulavisset atque oculos eburneis tabulis et aureis ornamentis et clarissimis gemmis satiare non potuisset, aedificium reliquit et per hortos silvasque late patentes iter facere coepit. vixdum Aurora oriens umbras nocturnas dimoverat, cum rores, qui in foliis placide dormiverant, refulserunt. statim apes per varios flores volaverunt, aves in arboribus cantus moverunt, procul cerva cum fetu arva pererravit: somno excitata erant omnia. Nero etiam spectaculum admiratus marmorea signa ubique posita se salutare putavit, quamobrem constitit ac salutem rettulit. itinere perrecto iterum persecuta sum. ille stagno maris instar, cui aedificia parvae urbis facta ab artificibus circumdata erant, appropinquavit. rursus primum constitit, deinde omnia inspexit risitque, tum stagno circumito in vestibulum, quod ita appellare ingentem ob amplitudinem me pudet, paulo post intravit. quomodo eius immensitatem verbis exprimam? – non puto hoc fieri posse. tam magnum erat spatium, ut summa principis colossus magnitudine ibi staret, qui germanum Neronem pusillum faceret. tunc is tardius ingressus vacillavit et constitit et oculos attollens ad pedes effigiei suae procubuit – incertum erat, utrum hoc modo totam domum an solum sese ipsum culturus esset. dum propius accedo et me post quandam de multis columnis occulto, Nero arbitratus se bonum poetam esse conatusque versus facere titubante lingua haec dixit:

“o domus es mea tu, magna aurea lumine plena!
omnibus igni sublatis, te quae retinebant,
clarior alto Romae Phoebus nunc oriaris!
aera ducere tandem possum principe dignus.”

talibus incensus dictis princeps quidem sobrius esse vino, sed nunc opibus suis ebrius visus est. hinc eum persequi desii: satis videram.